

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4186

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Gruchet-le-Valasse, Notre-Dame du Vœu du Valasse (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1258, juin

Lieu d'émission : Royaumont

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime la charte de l'abbé Robert et les moines de Royaumont et confirme la vente faite par cette charte à l'abbé et aux moines de Le Valasse de tout ce qu'ils avaient possédé dans la forêt de Maulevrier pour 1 400 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1203, p. 331.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos litteras fratris Roberti, abbatis Regalismontis, et ejusdem loci conventus, Cisterciensis ordinis, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, frater Robertus, dictus abbas Regalismontis, et ejusdem loci conventus, Cisterciensis ordinis, eternam in Domino salutem. Universitati vestre notum facimus nos, communi assensu et voluntate, pro utilitate domus nostre, vendidisse, quittavisse et tradidisse, in puram et perpetuam possessionem, abbati et conventui Sancte Marie de Voto in Caletto, Cisterciensis ordinis, Rothomagensis dyocesis, pro mille et quadringentis libris turonensium, jam nobis inde plenarie persolutis, quicquid juris, domini et eschaancie habebamus vel habere poteramus in foresta de Malo Leporario juxta Calidum Beccum, videlicet : sexaginta et octo libras et decem solidos turonensium annui redditus, assignatas in ducentis et septuaginta quatuor acris terre, et centum solidos turonensium annui redditus, assignatos in quodam prato juxta villam que dicitur Le Tret, que habebamus ex dono et elemosina Ludovici, Dei gratia, regis Francorum illustris, persolvenda eisdem annuatim, videlicet medietatem ad octabas Sancti Remigii et aliam medietatem ad octabas Pasche. Hec autem omnia suprascripta vendidimus predictis abbati et conventui predicti monasterii de Voto cum homagiis, releviis hominum predicta tenencium et omnibus aliis alte et basse ad eadem pertinentibus, nichil nobis aut posteris nostris in aliquo predictorum penitus retinentes, tenenda et perpetuo possidenda eisdem libere, quitte et pacifice, eadem libertate, jure et immunitate, qua nos eadem antea tenebamus. Et ut hec nostra venditio et concessio futuris temporibus perpetuam habeat roboris firmitatem, presentem paginam sigilli nostri munimine volumus communiri. Actum apud Regalem montem, anno Domini M. CC° Lmo. octavo, mense junio.

Nos autem, ad petitionem parcium, premissam vendicionem, prout superius continetur, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, salva et retenta nobis et successoribus nostris in premissis justicia corporum

hominum et membrorum, et salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Regalem montem, anno et mense predictis.